# AD
# INCOGNITORUM LITERARIORUM
# AUSTRIACAM SOCIETATEM
# EPISTOLA.

# INCOGNITORUM LITERARIORUM AUSTRIACÆ SOCIETATI

## A. M. CARD. QUIRINUS
*S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.*



Uperiori anno quum ſatisfaciendum mihi foret officio gratias agendi Regiæ Berolinenſi Scientiarum Academiæ, quod me prorſus immerentem illuſtri Sodalium ſuorum cœtui copulaſſet, induxi tunc in animum partes illas implere, inſcripta eorum omnium nomini quinta Epiſtolarum mearum Latinarum Decade, quam opportune admodum illis ipſis diebus abſolveram. Pari in præſens inita ratione Conſeſſui veſtro me ſiſto, Academici præſtantiſſimi, æque publico, æque ſolemni documento Vobis teſtaturus grati animi mei ſenſus, quippe qui æque honorificum humanitatis ſingularis argumentum mihi præbuiſtis ſuffragiis illis, quibus de me in Collegium iſtud adſciſcendo deliberationem cepiſtis. En itaque Decadem ſextam earundem Epiſtolarum, quam Vobis

 offe-

offerens in unum Volumen redactam, tantis auspiciis in lucem emitto. Neque tamen vereor, ne quis vestrum existimet, pertractata in lucubrationibus, queis illa conflatur, argumenta nihil, aut parum conducere posse ad Academiæ vestræ institutum, cui videlicet propositum sit bonas literas, & præsertim Philosophicas, Physicas, & Mathematicas juvare. Quid vero, an non hæc ipsa studia a Christiana vestra pietate ad divinum eum scopum diriguntur, quem iisdem lucubrationibus monstrare, firmare, & communire suscepi, id scilicet unice satagens, ut homines edocti quæ ad dogmata Ecclesiæ, Regnumque Christi in terris pertinent, ad æternam felicitatem deducantur?

Igitur ex arcta ea necessitudine, quæ inter sacram, profanamque literaturam intercedit, nullus dubito, Decadis hujusce munusculum benigno animo a Vobis exceptum iri, eoque magis, quod hujusmodi istud sit, quo nullum aliud excogitari posset magis consentaneum offerentis personæ; hujusmodi etiam, cujus non vile esse pretium fassi sint, vel ipsi Heterodoxi, quorum ictibus adversus dogmata, quæ dixi, repellendis fabrefactum esse conspicitur. Utraque hac conditione quo pacto donum istud gloriari possit, statim explico, in medium allata Epistola, quam ante unum circiter mensem dedi ad Cardinalem Kollonitzium, Archiepiscopum Viennensem, quæque præclarissimo hoc nomine ornata illustre quammaxime initium faciet

ciet Decadi meæ ſeptimæ. In illa enim, quod ſpe-
ctat ad perſonam offerentis, authoritate inclyti Civis mei, Auguſtini Cardinalis Valerii comprobatur, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Senatorem, ſiquidem libris ſcribendis incumbat, tunc non minimum addere ampliſſimo loco, quem in eadem tenet, ſplendorem, *Si libros ſcribat populo Dei utiles, quibus hæreſes confutentur*. Quod ſpectat vero ad Heterodoxorum de meis hujuſce generis laboribus judicium, proferuntur in eadem Epiſtola eorum hominum teſtimonia, quibus honorificentius Catholicum Controverſiarum ſcriptorem quidpiam ullo unquam tempore ex Adverſariorum confeſſione retuliſſe, Eccleſiaſtici Annales vix, aut ne vix quidem edoceant. Teſtimoniis autem illis, ad quæ Vos amando, bina valde ſingularia ut modo adjungere valeam, effecerunt literæ, quæ meas ad manus hac ipſa hebdomada advenerunt. Eas primo referam, quas mihi dedit publicus in Acatholica Univerſitate Profeſſor, quicum valde acres de rebus ad orthodoxam Fidem pertinentibus concertationes habui. Is, poſtquam a me accepit Tomum III. Epiſtolarum Card. Poli, & Epiſtolam jam jam allegatam ad Cardinalem Kollonitzium, ita mihi ſcribit die 3. Martii, *Quantum priſca Eccleſia ſuo Joanni Damaſceno, quem Arianorum appellavit malleum, debet, tantum profecto Tibi, Emin. Pr., merito tribuere poteſt Eccleſia Romana in Te malleum Heterodoxorum nacta. Perlata ad me ſunt nova, eaque ad unguem exaſciata Scrip-*

 *ta,*

*ta, quorum alterum est Pars Epistolarum Poli Tertia, alterum autem Epistola ad Card. Kollonitz bis diebus in lucem emissa. Perlustranti Opus Poli ornatissimum egregie se mihi probavit Contareni de Justificatione Tractatus, quo nihil in hoc quidem scribendi genere a vestris hominibus evulgatum vidi doctius, subtilius, & elegantius.* At si hujusmodi testimonium privatam dumtaxat habet authoritatem, publicam inesse nemo negaverit ei testimonio, quod aliæ literæ mihi exhibuerunt, quibus scilicet junctum inveni unum ex foliis, quæ in Urbe Turicensi singulis hebdomadis imprimuntur. Recensetur ibidem mea ad Vir. Clariss. Samuelem Formejum, a Secretis Berolinensis Academiæ, Epistola, in qua demonstrandum sumpsi, Romanæ Ecclesiæ Proceres a me jamdiu celebratos, semperque celebrandos, quemadmodum Lutherum solida doctrina omni, Christiana pietate, sapientia singulari, & reliquis ingenii, animique dotibus nimis quantum superarunt, ita homini illi nulla ratione secundos fuisse in linguarum Orientalium peritia; nam hanc quoque sibi ipsos assiduo, & incredibili studio comparasse, indubiis documentis ostendi. Eam vero recensionem Scriptor Zuinglianus in hunc modum concludit: „Ego quidem ita sentio „Lutherum sat doctrinæ, acuminisque habuisse, ut „susceptum a se facinus Ecclesiasticæ Unitatis discin„dendæ ad finem perduceret, at facinus illud nun„quam aggressurum eundem fuisse, si doctrina, &

„acu-

„acumine magis valuisset.„ Qui ad me folium istud transmisit, una simul laboribus meis in hunc modum gratulatus est, *Lisez ou faites Vous traduire la fin de la page 93. de cette feuille, ou l'on dit publiquement, que si Luther avoit eu autant de sagesse, & d'erudition qu'en ont eu Contarenus, Polus &c. il n'auroit pas entre pris de reformer l'Eglise. Mais n'en ayant eu que tres peu, mais beaucoup de hardiesse, il a reussi. Enfin Monseigneur Votr' Eminence peut bien comprendre, que c'est assez dire que d'avancer de telles choses dans une Ville comme est Zuric dans un imprimé public. Rome n'a pas été batie dans un jour.*

Quo tendant postrema ea verba, *Rome n'a pas été batie dans un jour*, absque dubio unusquisque vestrum intelligit, ad augendam scilicet spem appropinquantis jam temporis, quo Divina favente gratia impleatur Votum a religiosissimo, & sapientissimo Card. Kollonitzio in Epistola superius laudata hisce verbis declaratum, PIACCIA ALLA DIVINA SAPIENZA CH' ILLUMINA IL SANTO NOSTRO SOMMO PONTEFICE SUO VICARIO, CHE CIO' SUCCEDA ( loquitur de Sectariorum ad Romanam Ecclesiam adjunctione) SOTTO IL SUO APOSTOLATO. Ejus Voti Præconium, quod jam alibi feci, hic rursus instauro, eique præterea socio alterum, quod sequitur, HABEMUS PONTIFICEM MAXIMUM, INTEGRA FAMA, SUMMA VIRTUTE, SAPIENTIA SINGULARI, ANIMI MODERATIONE, PRUDENTIA AGENDORUM, QUÆ DOMUS CHRISTI DISPENSATOREM MAXIME DECET, PRÆSTANTISSIMUM.

Dum

Dum vero Præconium iſtud utrumque circumvolitabit Germaniam univerſam, cur non exſtimulet Acatholicos ad experimentum faciendum, num prolixiſſima voluntas, qua fertur BENEDICTUS XIV. ad benemerendum de omni hominum ordine, ipſos quoque ita complecti valeat, ut in eodem Liberatorem ſuum ſe nactos fuiſſe glorientur, ac hujuſcemodi Liberatorem, a quo, poſt excuſſum Hæreſis jugum, emolumenti plurimum, damni nihil ad ſe veniſſe perſentiant? Addam inſuper, ipſos quoque Principes, qui illorum dominantur, ea occaſione adeo erga ſe benignum BENEDICTUM XIV. reperturos, ut, audita Hujus voce, rerum ſuarum politicis etiam rationibus ſeſe abſque dubio bene conſuluiſſe dignoſcant. Quam valde Clementis VIII. paterna commota ſint viſcera, quo tempore jucundiſſimam in Domino Jubilei celebritatem Chriſtifidelibus pro anno MDC. indicens, oculos ſuos deflexit ad Heterodoxos gaudii illius expertes futuros, teſtantur Apoſtolicæ ejuſdem literæ, in quibus inter cætera ille profitetur, ſe pro Hæreticorum æterna animarum ſalute vitam ac ſanguinem, ſi opus foret, libentiſſime effundere paratum eſſe. Imminentis Jubilei ſolemnitas non vitam, non ſanguinem BENEDICTI XIV. depoſcit, ſed Paræneticas Epiſtolas, cujuſmodi conſcribendarum, quæ profecto doctrinæ, ſapientiæ, & charitatis canon cenſeantur, unus Ipſe artifex eſſe valeat. Supervacuos etiamnum fore conatus omnes, qui a Supremo

iſto

iſto Chriſtianæ Reip. Hierarcha ad rem, de qua agitur, adhibeantur, is tantum dixerit, quem lateat Pauli Apoſtoli illud, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.*

Tandem ut ad Vos redeam, Collegæ optimi, quin tamen ab Anni Sancti argumento, ad quod Epiſtola mea iſta declinavit, ſtylum removeam; fas mihi ſit, ad memoriam veſtram revocare admirandæ pietatis exempla, quæ, dum Jubileus anno MDC. celebraretur, edidiſſe narrantur in Hiſtoria ejuſdem ab Auguſtino Cardinali Valerio conſcripta, Andreas Cardinalis ab Auſtria, & Franciſcus Cardinalis a Dietrichſtain, Olomucenſis iſtius Urbis, quæ Academiæ noſtræ Sedes eſt, Antiſtitis, & *Sancti Paſtoris* nomine apud Vos nuncupati. Tam illuſtria facta utinam in proximo Jubileo Auſtriaca ditio omnis ſequatur, præſertim vero inſignis Metropolis iſta Marcomannorum! nam utraque

*Exemplo tangi non propiore poteſt.*

Quotquot vero ex Vobis ſacram hanc peregrinationem ſint obituri, quam vellem! ut ad Brixianam hanc Urbem diverterent; tecto enim meo lubentiſſime omnes exciperem, præſertim autem doctos eos Monachos, quos novi Academiæ Veſtræ accenſitos reperiri, quibuſque propterea duplici Sodalitatis vinculo in præſens conjungor. In Bavarico itinere, quod proximo Autumno peregi, hoſpites quoſvis meos, plerumque Benedictinæ Regulæ aſſeclas, magnopere curavi, Romæ adeundæ anno

no Jubilei desiderio incendi, ac professus sum, Ædes hasce Episcopales, quas dimidio ( Brixianos omnes testes habeo ) ampliores reddidi, sibi ipsis eam amplificationem vehementer gratulaturas, dum hujuscemodi hospitalitati patebunt. Ex Ædibus iisdem conspicerent ipsi unico intuitu & novam Bibliothecam, & novum Templum, & auctam novis redditibus Domum *Apostolici*, ut vocamus, Cœtus ad opitulandum iis instituti, qui obscure ferunt egestatem. Quoniam vero calamus meus ad memoranda postrema ista, nescio quo pacto, excurrit, huc transferam SANCTITATIS SUÆ verba ex Allocutione habita in Consistorio Secreto die 3. hujus mensis. Recensitis ibidem distinctim quotquot in Alma Urbe seu perfici, seu reparari maximis sumptibus curavit, Orationem illam in hunc modum concludit, *Ob eam solummodo causam hæc omnia Vobis recensuimus, videlicet ad vestros animos, qualicumque exemplo Nostro, inflammandos, ut studiis ac desideriis Nostris obsecundetis, quæ sane ad augendam Dei gloriam, splendoremque Sedis Apostolicæ amplificandum, unice diriguntur.* Exemplo, hortatu, præceptis hisce sanctissimis studia omnium Ecclesiæ Præsulum, ac præsertim S.R.E. Cardinalium, conformari debere, nemo est qui non videat. Valete.

*Brixiæ die* XXVI. *Martii an.* MDCCXLIX.

P.S. Nullus dubito a doctissimis Academiæ nostræ Præside Josepho L. B. a Petrasch, atque Secretario Equite la Motte des Aulnois nunciatum Vobis fuisse librorum, quos tenuis Minerva mea procrea-